



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epithalamion Episcopi, Cvm Sva Sponsa Ecclesia. Sive, De
Consecratione Episcopi Sermo**

Sokołowski, Stanisław

Cracoviae, 1580

Widmung

urn:nbn:de:hbz:466:1-10197

REVERENDISSI-
MO DOMINO, D. JUAN-
NI ANDREÆ CALIGARIO,
Episcopo BRITtonoriensi, ad Serenissimum
STEPHANUM POlonorum Regem, &c.
Nuncio Apostolico,

STANISLAVS SOCOLOVIVS
Pacem & Gaudium.



ROfiscenti mihi Warso-
via, ac in hoc ocium, quod
michi benignissimus Deus per
munificum Regem, benignè
ac liberaliter comparauit, post tot belli,
Aulae, lōgissimarum peregrinationum ia-
ctationes, me referenti, tuamque dexteram
exoculari volenti; multa tu mecum de-
multis, ut soles, humanissimè locutus es:
ultimo illud, quæ tua est summa pietas,
ac decoris domus domini incredibilis ze-
lus, me

A ij

lus, me

E P I S T O L A

lus, me monuisti, ne hoc meum qualemque taletum, more serui nequam, sub terra absconderem, sed potius illo, qualcunque esset, rem domino, ac patrifamiliis meo quærei ē. Recepim me omnia, quantum possem, facturum, quæ ium sanctissimè monebas: ac dum alij aurum, argentum, pretiosum lapidem, æs, hyacinthum, purpuram, coccumq; bis tinctum, & bissum, cedros item, & id genus aliud preciosæ materię, ad decus et ornamentum tabernaculi Domini, vestimentiq; Sacerdotalis, prompte & munificè conferunt; dixi me quoque, vel pilos caprarum, atque pelles apportaturum. Cuius meę obedientię, ac datę fidei principiū dare volui ab illo ipso sermone, quem in augustissima illa primæ inaugurationis tuæ Panegyri, præsente Rege, Senatu, ac vniuersis Comitijs, de ritu, mysterijs, vetustate, usu Consecrationis Episcopi, tota denique dignitate, auctoritate, ac functione Pontificali habui.

D E D I C A T O R I A.

bui. quem tum quidem, pro ratione tem-
poris, breuiter & quasi in compendio ex-
plicaui: nunc autē multis sententijs qua-
si floribus quibusdam, antiquissimorum et
Sanctissimorum Patrum aspersum, ac ve-
luti conditum, ad eius primum parentem
et auctorem (nam ego nutricis tantum et
alumni partes sustineo) signum & testi-
monium cùm meæ incredibilis erga te ob-
seruantia, tūm rectè & honestè dispensa-
tiocij mitto. Tu si dignū iudicabis, alijs le-
gendum trades: qui si non re & maturi-
tate, nouitate certè argumenti se commen-
dare poterit. Et contulerunt quidem alijs
ad hoc opusculum exornandum verba, a-
lijs sententias, alijs argumenta: tu vita illa
tua præstanti ac verè Pontificia, exem-
plum et formam eius ipsius Pontificis, quē
Sancti Patres suis pulcherrimis depin-
gunt coloribus, nobis repræsenta. Cuius
quidē rei non initia et inchoationes quas-
dam obscuras, sed perfecta, & consum-

A ij

mata

E P I S T O L A

mata quædam specimina nobis edidisti.
Quis enim te, aut vitæ honestate & san-
ctitate innocentior; aut deuotione, ac cul-
tu diuino ardenter? quis in omnibus pe-
riculis ac discriminibus, pro Religione
Christianæ subeundis audētior? quis in la-
boribus sustinendis, in ista tua affecta va-
letudine firmior? quis in deprehendendis
technis, & insidijs inimicorum Dei saga-
cior ac circumspectior? quis in omni re-
tinenda veteri disciplina vigilantior?
quis in commonendis Principibus prudē-
tior, simul ac liberior? quis in exornan-
dis, ac commendandis bonis, & Ecclesia
Dei dignis viris, magis prolitus, magis
munificus? quis in admittendis & audi-
endis omnibus magis humanus & affabi-
lis? at qui hoc est nostrarum, vel tuarū
potius Nuptiarum argumentum, hæc sen-
tentia: quo quidem nomine te omnes ama-
mus, omnes suspicimus, omnes tanquam
hominem quendam diuinum cœlitus, in
hanc

D E D I C A T O R I A.

banc Prouinciam demissum admiramur.
Certet igitur exemplum cum regula, facta
cum dictis, Episcopus cum forma & spe-
cie Episcopi. quod cùm abundè sine om-
ni monitore tua sponte facias, quid aliud
restat; nisi ut quam diutissimè felix et in-
columis, honori diuino, Ecclesiæ utilita-
ti, nostrum omnium instructioni vias?
SOCOLOVII autem tui, cùm apud te ip-
sum, tūm apud utrumque, Regem, cæle-
stem inquam, & hunc nostrum in terra
sanctè et piè versantem STEPHANVM,
aliosq; viros bonos, nunquam obliuiscaris.
Utinam nobis diutiùs nostro ocio perfrui
liceat. Vale Antistes optime & vigilan-
tissime. Cracoviæ decimasexta Aprilis,
Anno Domini 1580.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN